



Q. F. F. Q. S.

DISPUTATIO ACADEMICA
Quæstiones aliquot

Ex

PHILOSOPHIA
PRACTICA

delibans,

Quam

DEO T.O.M. bene juvante
PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo
atque Excellentissimo*

DN. JOHANNE GEORGIO
SCHERZIO,

J. U. & Ph. D. & Phil. Pract. P. P. Ord.
& Cap. Thom. Canon.

*Domino Patrono, Fautore atq; Præceptore suo,
omni observantia cultu venerando,*

In Alma Argentoratensium Universitate
Publico Eruditorum Examine subicit

JOHANNES JACOBUS SCHATZ, Arg.

*A. d. 20. Aprilis MDCIX.
horis locoque consuetis.*

ARGENTORATI,
Litteris JOHANNIS PASTORII.



VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Con-
sultissimis, atque Prudentissimis,*

DN. FRANCISCO *Reiseisen* / Reip. Argent. Con-
sulari, XIIIviro, ac Universit. Scholarchæ Gra-
vissimo.

DN. SEBASTIANO GAMBSIO, Jcto, } Præfctis
Consulari & XXIviro, } Collegii
DN. JOHANNI *Dietrich* / Collegii XIIIvi- } Wilhelmi-
ralis Assessori splendidissimo, } tani Benefi-
centissimis
Gravissi-
misque.

Nec non

Venerando Collegii Wilhelmitani DNN. VISITATORUM
Collegio, & Maxime Reverendo DN. D. INSPECTORI;

U: &

*VIRIS Nobilissimis, Consultissimo, Plurimum Reverendo,
Doctissimis atq; Prudentissimis,*

DN. JOH. FRIDERICO OESINGERO, Jcto & Senatus Minoris
Referend. Dexterrimo, suoq; è S. Baptism. fonte Susceptori
Venerabili.

DN. M. JOH. PHILIPPO STROHLIO, Eccles. Thom. Past. vigi-
lantissimo, & Can. Thom. Affini animæq; suæ Curatori filia-
li amore venerando.

DN. PHILIPPO MARTINO CHEMNITZIO, Civi Richovill
primario, Avo suo omni observantiæ cultu devenerando.

*Mæcenatibus, Patronis atque Fautoribus
atatem devenerandis,*

Disputationem hanc

D. D. D.

JOHANNES JACOBUS SCHATZ, Auct. & Resp.



QUÆSTIO I.

*An Mulieres gradibus Academicis
sint ornandæ?*



I eorum, qui de Sexu Fœ-
minino judicia tulere, sententi-
as oculis animoque subjicimus,
apparet multos illorum eâ in
re non parum esse lapsos, & vel
in excessu vel in defectu peccas-
se. Alii ita in earum admira-
tionem & laudes feruntur, ut eas non tantum viris
æquiparent, sed etiam anteferant: quem in censum
referri debet CORNELIUS AGRIPPA *in declama-
tione de nobilitate & præcellentia feminei sexus*: cu-
jus vineta ante annos non ita multos cecidit Can-
cellarius Fuldenfis, WILHELMUS IGNATIUS
SCHÜZ, in opere quod prodiit sub titulo: *Ch-
renpreis des Hochlöbl. Frauen-Zimmers/ das ist:
Ohyparthevische Erörterung der ohne Fug in Zweif-
fel gezogenen Frag / ob nemlichen das weibliche
Geschlecht am Verstand dem Männlichen von Na-
tur gleich / auch zu Verrichtung tugendsamer Wer-
cke und Thaten ebenmässig qualificirt und geschickt
sey.* Francffurt / 1663. Huc etiam pertinere Ger-
manos quidam arbitrantur, quia de iis TACIT. de
MOR, *Germ. c. 8.* dicit: *Inesse quin etiam sanctum*

*aliquid & providum fœminis putant : nec aut consilia earum aspernantur , aut responsa negligunt . Vidimus sub Divo Vespasiano Velledam diu apud plerosq; Numinis loco habitam . Sed & olim Auriniam & plures alias venerati sunt , non adulatione nec tanquam facerent Deas . Alii contra plenis buccis in sexum huncce detonant : imò infra hominum fortem deprimere nituntur . Hujus classis fuit ille Episcopus , de quo GREGORIUS TURONENSIS *Hist. Francor. l. 8. c. 20.* refert , quod in Synodo Maticensi dixerit : *Mulierem hominem non posse vocitari .* Item Auctor Commentarii in Epistolas Pauli , qui falso Ambrosio tribuebatur , qui in Cap. 11. Ep. 1. ad Cor. dicit : *Fœminas non esse ad imaginem DEI factas : Ut & is , qui in tractatu , qui VAL. ACIDALII nomen præfert , defendere laborat ; mulieres non esse homines : cujus farinae etiam est is , qui supradictum Schützi tractatum refutavit edito scripto , cui Titulus : *Gestürzter Ehren-Preis des Hochlöbl. Frauen-Zimmers / 1666.* de quo vid. Jac Thomaf. præf. 71.**

Verum naturam & ingenium sexus hujus missa omni præconcepta opinione , vere ponderantes recte judicant , in hoc sententiarum divortio mediam viam utpote tutissimam esse ingrediendam . A quâ viâ non abire videntur , qui quærunt , an fœmina studiorum sit capax , & an gradibus Academicis ornari possit ? Quod prius attinet non pauci sunt , qui omnem prorsus ipsis eruditionis capacitatem , & aptitudinem ad graviora negotia denegarunt ; Martianus Capella , *Minervam* , dicit , *absque matre natam ideo fingi , quia mulieres omni consilio ac prudentia destituuntur* , in quo Aristotelem sequitur , qui

qui in Ethicis scribit , *Mulieres non pollere consilio* : quid enim obstat quo minus id fieri possit ; Deus enim absque ullo discrimine quoad hoc nobis illas pares fecit , unde Vossius in libro de Philolog. scite inquit : *Et sane qui sexum alterum ad studia idoneum negant jam olim rejecti fuere ;* Seneca c. 16. in Consol. ad Marc. *Quis enim dixerit naturam maligne cum muliebribus ingeniis egisse , & virtutes illarum in arctum retraxisse ? Par illis , mihi crede , vigor par ad honesta libera facultas : laborem doloremque ex æquo , si consuevere , patiuntur .* &c. hoc itaque eo nos certe animo esse jubet , quod summa quoque æque ac mares virtute duce , si ad ejus studium exhortentur , consequi possint ; nec nos ab hac sententia nostra deterret illud Euripidis in Hippolyto ; qui inquit :

Σοφὴν δὲ μισῶ . μὴ γὰρ ἐν γ' ἐμοῖς δόμοις
ἔη Φρονεῖσα πλείον , ἢ γυναικα χρεῖ .
τὸ γὰρ πανεργον μάλλον ἐκτίθει κύπρις
ἐν γαῖς σοφάσιν .

Aut illud celeberr. Galli Balzaci , qui malebat habere uxorem barbâ ornatam , quam talem , quæ sit erudita . Quod autem merito studia ipsis concedamus firmatur illo ; nemini præclusa est virtus , sed omnes admittit nulla sexus , ratione habita , ceu ait Seneca l. 3. de Beneficiis . Idque probant innumera exempla mulierum in hoc vel illo genere studiorum peritissimarum , quarum nomina , qui scire avet , ille adeat Jac. Thomafii dissertationes duas de Eruditione Fœminarum , item , Christiani Junckeri Centuriam Fœminarum , Christ. Fr. Paullini in *der zeitverfürzenden erbaulichen lust / T. II. c. 193.* & alios , quos recenset Reinhardus in *Theatr. Prud. Elegant. p. 534.* Inter illas vero non-

nullæ tantam sibi compararunt eruditionem ut gradibus Academicis ornarentur; ex quibus in exemplum ex recentissimâ historiâ aliquam nominare liceat: Est illa Helena Cornara Piscopia, Johannis Baptistæ Cornari, Procuratoris S. Marci Veneti cujusdam filia, hæc Philosophiæ, Philologiæ, & Theologiæ tantam habebat cognitionem, ut Academia Pataviensis unanimi consensu Doctoris Theologiæ titulo eam insignire decrevisset; quod etiam factum esset, nisi Cardinalis Barbarigo, Ecclesiæ id fore criminiosum, si foemina Theologicam Cathedram conscenderet, causam interferens, quo minus id fieret, obstitisset; Philosophiæ itaque Doctoris, sive Magistri titulo illam contentam esse oportuit, qui ipsi A. 1678. d. 25. Junii in præsentia multorum Doctorum summorumque Virorum in Ecclesia Cathedrali Pataviensi est assignatus. Vide Gregor. Leti in Italia regnant. part. 4. lib. 1. p. 43. Morhof. in Polyhist. T. I. lib. 1. c. 19. §. 59. Haud immerito ergo quaeritur, an jure id factum?

Negativa nobis sententia esset sequenda, si *Lenauderico de Privilegiis Doctorum part. 1. quæst. 22.* fidem haberemus; quem etiam sequitur *ZELLERUS Cent. 4. variar. questionum 35. p. 176.* Sed in affirmativam nos imus; Cum enim gradus Academici sint Eruditionis præmia, non video, quomodo, si rem secundum meram rationem ponderamus, à Gradibus excludi debeant foeminae, cum via ad eruditionem ipsis non sit occlusa. Circa gradum Doctoratus Theologici hærere quis posset, quia Apostolus PAULUS non tantum in 1. Ep. ad Cor. 14, 34. dicit: *αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις*

σιωπῶσιν

σιωπῶσιν ἢ γὰρ ὀφειτέραν αὐταῖς λαλεῖν ἀλλ' ὑποτάσσεται, καθὼς καὶ ὁ νόμος λέγει. Sed etiam 1. *Tim. 2. v. 12.* ait: *γυναῖκί δὲ διδάσκειν ἢ ἐπιτελεῖν, ἢ δὲ ἀνδρῶν, ἀλλ' εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ.* Sed illam rem aliis judicandam relinquo: Id potius observo, non deesse exemplum foeminae in Theologiæ Doctorem promotæ; Nam HILARION de COSTE in *Tom. II. des eloges & vies des Reynes Princesses &c. part. 8. p. 728.* refert: *Isabellam Losam Cordubensem, foeminam linguæ Latinæ, Græcæ atq; Hebraicæ admodum peritam, postquam ad gradum Doctoris in Theologia esset evecta, post mortem mariti factam esse monialem Ordinis S. Clarae.* Idem Auctor *Tom. I. part. 3. p. 522.* hæc habet, quæ ex versione LIMNÆI in *Addit. Tom. II. ad lib. 8. cap. 8. n. 96.* ita latine sonant: *Belticia Gozzadina, filia egregii nobilis Bononiensis, cui nomen Amatoris Gozzadini, contemnens colum & acum omniq; exercitia communia sexui muliebri, se dedit studio Linguæ Latinæ & Juris, in quibus tantos fecit progressus, ut A. 1232. ætatis suæ vigesimo tertio orationem funebrem Latinam habuerit in Templo primario Bononiensi tempore exequiarum Dn. Lud. Frattæ Episcopi istius loci, quam Auditores admirati sunt. Dehinc post triennium eadem in Universitate titulo Doctoris Juris insignita fuit, ac deinceps privatim Institutiones Juris Jurventui tantâ cum laude exposuit, ut tandem ad publicam professionem vocaretur 1239. quo applausum Studiosorum magno numero variis ex Nationibus è confluentium merita fuit. Plures composuit Juris Commentarios, qui postea typis impressi prodierunt, sub nomine ficto & alieno. Quo vero melius possit incumbere studiis, mansit cælebs & sine marito.*

rito. Conf. omnino. M. Franc. Æpini Disp. de moralitate graduum Academicorum, cap. I. §. 5. habita Rostochii Anno 1702. mense Junio.

QUÆSTIO II.

Num Fœdus Hanseaticarum Urbium fuerit Fœdus licitum?

DE Urbibus Hanseaticis, quarum nomen in historia priorum seculorum non parum celebratur, variæ inter Eruditos agitantur lites. Nam primo certant de origine earum, seu de tempore, quo Fœdus illud coaluerit. CHYTRÆUS, quo nemo melius de hisce urbibus egisse censetur, se illam, quamvis diu magno labore inquisiverit, invenire non potuisse ingenue profitetur. Pleriq; ad A. C. 1213. illam referunt: quos tamen refutat Celeberrimus Vir HERMANNUS CONRINGIUS in *diff. de Urbibus Germ.* §. 95. & seqq. ubi ipse statuit fœdus hoc post annum seculi decimi tertii sexagesimum demum coivisse. Deinde etiam de nominis Etymologia disceptatur. Quidam arbitrantur *Hanse-Stätt* idem esse ac *Handel-Stätt*; non insolens enim esse, ut *Handel* corrumpatur in *Hansel*, cujus exemplum allegant vocem *HansGraff*, quæ denotet Ratisbonæ existentem Judicem Mercatorum, den *Handels-Graffen*, vid. *Limn. J. Publ.* 7. 1. n. 65. seqq. Alii deducunt ab *Haim* & *Hain*, quæ vox Gallis denotat *Hamum*, quia ope potentiae suæ navalis instar hami in mari prædas ad se attraxerint: Alii derivant hoc nominis ab *an* & *see*, quod Civitates sitæ sint *an der See*. Alii ab *Hand* hanc vocem descen-

descendere credunt, quia in Civitatibus talibus quæ commerciis eminere volunt fidei & eorum quæ promissa sunt, servatione imprimis est opus; fides autem manu oblata dari soleat. Alii rursus, quia in quibusdam Recessibus Imperii nominantur *Hayn-und See-Stätt*, existimant earum magnitudinem & potentiam denotari: *Hayn* enim dicunt idem esse ac *magnus*. Majores nempe nostros Hunnos nominasse die *Haynen* & *grosse Haynen*, eos, qui statura Hunnis essent æquales. Rursus alii cum HADRIANO JUNIO ac WERDENHAGIO appellationem hancce venire putant a Gothico *Ansi*, *Anse*: quod vocabulum denotat *Homines*, qui ceteros *mortales fortunâ & opibus antecellunt*, *Heroum & semi-Deorum conditioni proximos & egressos quasi humana fortis terminos*. Nobis maxime probabile videtur hanc vocem componi ex *Statt* & *Hansa*, quæ posterior & Gothis, cum quibus lingua Germanica plurima communia habet & Germanis antiquis, significat *multitudinem quandam certo fœdere conjunctam, cohortem*. Prouti usurpatur in antiqua Teutonica *Versione Paraphraseos Evangeliorum* TATIANI à Dn. PALTHENIO editâ, cap. CC. n. 1. ubi dicitur: *Die kemphon des Graven intsiengun den Heilant in therno dinchus, gisamanotun zi imo alla thia hansa. Et milites Præsidis suscipientes Jesum in Prætorium: congregaverunt ad eum universam cohortem*. Conf. Schottel in *Tract. de singular.* quibusd. & antiquis in *Germ. Juribus* cap. XXVI. §. XXXI. seqq. Hert. de *superiorit. Territor.* §. XXXVI. Werlhof. in *Specimine secundo Juris*, maxime quo in foro utimur Germani. *Enucleati* §. V. ubi allegat pri-

vilegium Henrici III. Angliæ Regis An. MCCLXVIII. Mercatoribus Hamburgensibus datum; in quo dicitur: *Habeant Hansam suam per seipfos per totum regnum nostrum.* Magis notabilis est illa disputatio, quâ agitur Quæstio: An Fœdus hocce fuerit licitum? Qui contra id pugnant his fere nituntur Argumentis; quia primo illud fœdus repugnet publicis Imperii Legibus: nam in AUREA BULLA CAROLI IV. Artic. XV. dicitur: *Detestandas præterea & sacris Legibus reprobatas Conspiraciones & conventicula seu Colligationes illicitas in Civitatibus, & extra & inter Civitatem & Civitatem, inter personam & personam, sive inter personam & Civitatem prætextu parentela, seu receptionis in Civem vel alterius cujuscunque coloris conjurationes, insuper & NB. Confœderaciones & pacta, nec non & consuetudinem circa hujusmodi introductam quam censemus potius corruptelam, reprobamus, damnamus & certa scientia irritamus.* Cum quo convenit AUREA BULLA SIGISMUNDI de A. MCCCCXXXI. ubi dicitur: *Daß hinfür nyemand, vver der sey, einig Bündnuß oder Einung machen oder angehen soll, ohne deß Reichs Wissen, Gunst, Urlop und Willen.* Item, Constitutio FRID. III. de An. MCCCC XLI. apud Goldast. in den Reichs, Satzungen / fol. CLXIX. *Daß im gantzen Römischen Reich fürbaß keine Bündnuß oder Vereinigung auffgerichtet, auch die alte alle abgethan vverden sollen.* Conf. Capitul. Josephina Art. IX. Secundo dicunt, illud Fœdus Imperatori & Imperio fere esse incognitum; uti apparet ex REC. IMP. de MD XLVIII. §. XLVIII. ubi dicitur: *Daß hiemit einem jeden Creyß insonderheit auff-*

erlegt,

erlegt, und ernstlich befohlen seyn soll, sich eigentlich und fleißig zu erkundigen, und darauff unserm Neuen und Churfürsten, dem Erzbischoff zu Mainz, beständigen Bericht in Schrifften zu thun, vwie es umb die vielgemeldte See- und Ansee-Stätt gelegen, vver dieselben sind, vwie sie genannt, vvo sie gelegen, ob und vwie sie dem Reich oder andern Ständen untervvorffen. Unde non possit dici approbatum esse, nisi ignoti approbationem fingere velimus. Addunt tertio per illud induci triplicis generis Monopolium, videlicet in mercibus, personis, atque adeo periculosum esse, & publicis Imperii Legibus contra Monopolia latis repugnare. Denique allegant, quod multæ mediatæ Civitates sese hoc modo Principum suorum potestati subtraxerint & nihil facilius videatur, quam ut adhuc aliæ eas sequantur, & potentis hujus Collegii auctoritate Dominorum suorum vires eludant. Vid. Schüz in Coll. Publ. de Statu Rei Rom. Ex. VIII, 25. Nos non obstantibus hisce rationibus arbitramur non incongrue loqui eos, qui dicunt fœdus hocce sua natura nihil illiciti involvere. Cum enim Jura tam Humana quam Divina Commercia permittant; illa autem imprimis per Navigationes ad Regiones Exteras promoveantur, permissum etiam videtur, ut Civitates, sive mediatæ sive immediatæ sint, mutuas inter se conventiones & fœdera ineant, quæ ad finem illum promovendum maxime facere videntur, modo per illas conventiones aliis jus quæsitum contra voluntatem non auferatur. Fuit autem, uti non tantum CONRINGIUS in *diff. de Urb. Germ. §. XCVIII.* sed & illustri OBRECHTUS noster in *diff. de Imperii Germ.*

ejusque Statuum Fœderibus, §. XV. observat, hæc confociatio instituta ob commercii maritimi libertatem, & pertinebat ad negotia privatos contractus non excedentia. in quo imitata est genium illius fœderis, quod MCC XLI. inter Civitatem Hamburgensem & Lubecensem jam factum est, (ex quo etiam fœdus Hanseaticum profluxisse non immerito videtur Dn. Werlhofio l.c.) de quo ita loquitur Traziger in Chronico Hamburgensi Msc. quod citat modo laudatus Werlhofius: Von der Zeit an vermehrete sich Hamburg täglich an Gebäu, Handel und Kauffmanschafft, insonderheit mit Schiffung und Handthierung zu Wasser. Derhalben machten die von Lübeck mit ihnen A. MCC XLI. eine Bündnuß, daß sie die Strassen zwvischen der Travén und Hamburg, und von dem Elb-Strom biß in die See sicher hielten, vvolten sie derhalben Theil aller Unkosten, so darauff lauffen vvorde neben ihnen stehen, vvervwilligten sich auch, vvas in Handhabung beider Stätten, und derselben Einrvvohner Gerechtigkeit von nöthen sein vwürde, auff beider Theil gleichmäßige Darlage außzurichten. Dis ist die erste Bündniß deren von Hamburg mit der Statt Lübeck, davon glaubvvürdige Urkund vorhanden sein, auß vvelchen, vwie zuvernehmen, hernacher andere mehr Vereinigunge gestoffen. Ad rationes in contrarium allegatas ita respondemus: Aurea Bulla Caroli IV. non loquitur de omnibus & singulis Confoederationibus Civitatis in Civitate, sed de illis parentelis, Confratriis Colligationibusq; variis, per quas Civitates nonnullæ, quæ tum a Nobilitate frequentari, magnitudine etiam virium ad amplitudinem aliquam crescere incipiebant, præsidia sibi ad invenhendam usurpandamq; libertatem quæsierunt,

uti

uti hoc eleganter docet Dn. DATT *de Pace Publ. l. XIV. & seqq.* ex cujus etiam Cap. XIII. responsiones ad Sigismundi & Frid. III. Constitutiones peti possunt. Sane nec Carolum IV. nec Frid. III. Societatem Hanseaticam pro illicita habuisse, inde apparet, quia ille Brunsvicum, hic Coloniensem, cum a Societate ista exclusæ essent, in priorem statum restituerunt. Uti observat Hert. loc. supracit. Quod ipsum etiam destruit objectionem secundam, qua fœdus hoc Imperatori & Imperio ignotum fuisse dicitur, adeoque non approbatum. Quomodo enim ignotum & non approbatum dici potest illud, in quod ipsi Imperatores aliquas Civitates restituunt. Recessus allegatus ostendit tantum, quod conditio Civitatum Hanseaticarum, quæ forte quibusdam non satis ex arte nota esse poterat, accuratius considerari & expendi debeat, ut sciri possit, quæ Civitatum Hanseaticarum de subsidio contra Turcam conferendo ab Imperio rogari; quæ vero illarum ut id in ærarium Principum suorum, Circulorum inferant, adigi debeant. Ad tertiam rationem respondemus, quod nullo indicio evidenti appareat, quod Monopolii causa fuerit instituta hæc Confociatio; quamvis negari in universum non potest, ex post facto ad Monopolarum naturam non raro prope accessisse. Ad ultimum dicimus: Sit, quod aliquæ Civitates mediatæ occasione hujus fœderis sese Dominorum suorum justo imperio subtraxerint: Sed quid inde concludes? nihil aliud quam quod hoc fœdere aliquæ Civitates sint abusæ; ex quo ipso neutiquam sequitur ipsum fœdus fuisse illicitum, debebant curare regionum Domini, ut se contra tales subditorum artes satis munitent, aut in talem societatem nunquam vel expresse

B 3

vel

vel tacite consentire. Salva itaque manet assertio nostra, quod Fœdus Hanseaticum in se non sit illicitum: quo ipso tamen non negamus successū temporis illud inbindea recto deviasse: unde corrigi magis quam tolli debebat.

QUÆSTIO III.

An Jus illud, quod in quibusdam Germaniæ locis Hagestolticum, das Hagestolzen-Recht appellatur, probari debeat?

UT sciatur, quid per *Jus Hagestolticum* intelligamus, notandum est, in quibusdam Germaniæ terris, inprimis Septentrionalioribus, lege vel more receptum esse, ut ii, qui cœlibatum, donec ad provectiorem ætatem perveniunt, colunt, appellentur *Hagenstolz*, *Hagenstolten*, & priventur potestate testandi de bonis suis; Unde plerumq; fit, ut ipsis decedentibus acquisita Fisco, reliqua vero proximis cognatis cedant, uti hoc explicat Schottel *de Singularibus quibusdam & Antiquis in Germaniâ Juribus*, cap. I. unde apparet *Jus Hagestolticum* appellari ab objecto, quia de *Hagenstolziis* disponit. Nomen horum derivat laudatus Schottelius ab *Hagen*, *Häyen*, quod idem est ac aliquid *fovere*, *alicui indulgere*, & *stolz*, *superbia*, *ex ambitione fluens pervicacia*, *Eigensinn*, quia indulgent pervicaciæ; a cujus sententia diversa sunt, quæ ex collectione DN. à Staden, viri πολυμαθῆς ἀτῆς refert M. Tobias Eckardus, Rector Gymnasii Stadenfis, in *Epistola ad Kirchmejerum*, Professorem Wittembergensem; quæ ita sonant: *Hagenstolt*, *cœlebs*, *Häyenstolten* vocantur in Ducatu Verdensi & Lunenburgensi, mares adulti, separati a familia paterna, orbi parentibus, qui non

ineunt matrimonium atque ita absq; legitimis heredibus descendentibus obeunt, cum per atatem & corporis vires possent conjugium inire, quorum hereditatem capit fiscus: ita dicti ab Hagen, quod est *sepes*, *sepimentum*, & *stult*, seu *stalt* positus, quod non colant propriam domum, sed quasi ad sepes positi non habeant proprium larem. *Rahannus Maurus in Glossario: Hagestalt*, *cœlebs*, *Hagestalt lyp*, *cœlibem vitam agere*. Huc pertinet *Stolizaz*, *Vicarius Regis*, à *Stol*, *fella*, & *Satz*, *sessio*. *Vid. Koss. de vitijs Serm. Lib. II. p. 257.*

Hoc autem nomine non omnes cœlibes indignantur, sed ii, qui nec per imbecillitatem mentis, aut vitium aliquod corporis, aut Statum Clericalem, aut nimiam paupertatem a Nuptiis celebrandis impediuntur. *Es ist aber derselb eigentlich ein Hagestolz, vvelcher zu dem Alter und Vermögen kommen, auch nicht durch Wahnsinn, oder Leibesgebrechen, oder geistlichen Stand, oder allzugrosse Armuth und Elend verhindert wird, daß er könne Ehlich vverden, und ein Weib ernehren*; ait Schottel in l. c. qui etiam in seqq. observat in quodam Ducatus Würtembergici districtu non tantum mares, sed & fœminas, quæ nempe usq; ad quinquagesimum ætatis annum non nupfere, vel post prius Matrimonium per XXX. annos à secundis Nuptiis abstinent pro *Hagenstolziis* haberi. Nunc si ad Quæstionis propositæ decisionem veniendum est, arbitramur, recte beneq; posse summas in Rebus publicis Imperantes pœnas statuere, in eos, qui cœlibatum affectant. Ratio Assertionis nostræ est, quæ sane difficulter haberi potest, nisi promiscua cœlibatus licentia tollatur. Multi enim, uti BOECLE RUS in *Institut. Polit. lib. 1. c. 2.* observat *impure & callide agunt, qui molestias matrimonii subterfugientes, interim vagis libidinibus operantur*. Et hæc non ultima ratio est, quare præter Germanos Lacedæmonii, Athenienses, Romani aliique populi vel præmia liberos suscipientibus, vel pœnas cœlibatum affectantibus dictavere. In Historia Romana Augustus inprimis hoc saxum volvit, cujus de hac re gravissima

viffima extat apud DIONEM CASSIUM l. LVI. in pr. Oratio: in qua increpat cœlibum conditionem, (1.) quia immemores providentiæ Divinæ & curæ Majorum fuorum genus opprimere & extirpare intendant. (2.) Quia committant crimen non vulgare, fed longe maximum, dum & homicidæ fiint eorum, quos generare debebant & impiiffimi ingratiiffimiq; in Majores, quorum nomina & honores extinguant, & injurii in Deos, dum familias ab iis ortum ducentes extirpent, fumumque ipforum donarium naturam humanam aboleant, hacque ratione & templa destruant & Respublicas diffolvant. (3.) Quia agant vitam, quæ plane non differt a Latronum feriffimarumque beftiarum vita. (4.) Quia fpernant Statum Matrimoniale, qui licet maximis cum incommodis fit conjunctus, multa tamen & neceffaria bona fecum trahit. Non obftat hiſce, quod, fi in ulla re, certe in Matrimoniis ineundis libertas Hominum falva eſſe debeat, atque integra. Id enim in tantum ſolummodo valere debet, in quantum illa libertas falvis Legibus Divinis, falvis etiam Status publici rationibus exerceri poteſt. Potiffimum autem illa libertas intelligi debet ita, ut nemo cogatur, ſi ſenſel decrevit matrimonium inire, ut ſe cum hac vel illa perſona, a qua alienus eſt, neceſſario jungat. Libertas illa potius vigere debet ratione perſonæ in matrimonium ducendæ, quam reſpectu Matrimonii ipſius. Cæterum à Magiſtratibus probe erit curandum, ne lex contra Cœlibatum lata ad eos applicetur, de quibus conſtat, quod ex vera in Deum pietate, & ut eidem eo melius ſervire poſſint, cœlibatum colant: quod ipſum repugnaret Apoſtoli ſententiæ, quam 1. Cor. VII, 7. profert. Ratione ſexus imbecillioris etiam cautione opus eſt; cum enim penes fœminas non ſtet ut plurimum, an marito jungantur, nec ne, ſed ipſorum ſit conditionem expectare, Judicis erit probe examinare, cur hæc vel illa conjugio juncta non fuerit.

Θεῶ μόνω δόξα.

